

Hošek, Radislav

Ad titulum Gabinum nr. D 1 Bartoněk - Buchner

Sborník prací Filozofické fakulty brněnské univerzity. N, Řada klasická.
2001-2002, vol. 50-51, iss. N6-7, pp. [121]-122

ISBN 80-210-2768-1

ISSN 1211-6335

Stable URL (handle): <https://hdl.handle.net/11222.digilib/113897>

Access Date: 30. 11. 2024

Version: 20220831

Terms of use: Digital Library of the Faculty of Arts, Masaryk University provides access to digitized documents strictly for personal use, unless otherwise specified.

RADISLAV HOŠEK

AD TITULUM GABINUM NR. D 1 BARTONĚK – BUCHNER

Editio titulorum veterum Graecorum et Pithecussis et in aliis locis repertorum quam A. Bartoněk una cum G. Buchnerio cive Pithecussiano (Porto d'Ischia) magna cum diligentia curavit ab unoquoque qui ei oculos vertat valde laudanda est. Quae diligentia editorum scientiae quam amplissime coniuncta omnes fere difficultates, quas tituli testis persaepe fractis inscripti aut picti praebent, ut recte intelligantur, removet. Attamen – ut in titulis explicandis saepe fit – dubitatio quaedam sententiae ab ea, qualem editor primus protulit, distant locum dat ut proferatur dicens eam demum esse rectissimam.

Nos autem unum tantum exemplar dubitationis parvulae professori eximio olimque collegae nostro cordiali Antonio Bartoněk hoc anno diem nativitatis suae festum iam septiesdeciesquingies celebranti offerre audemus audacter, licet tam exiguum donum viro in scientia praeclaro minime dignum esse sciamus.

In pagina 204 sub nr. D 1 editionis laudatae conspici potest imago (in pagina 225 eadem imago maiore forma expressa denuo in usum lectoris repetitur) vasis Gabiis Latinis annis cca 770 a. Chr. n. fabrefacti et inscriptione Graeca ornati. Quod vas, cum in coemeterio sub terra obrutum esset, pro urna funebri rectissime habetur, sed quid vox litteris Graecis formata significet sub iudice manet. Maxima pars eorum, quam et amicus noster sequitur, nominis adiectivi formam non ad finem deductam ibi videre studet eamque in vocem compositam et ad virum et ad feminam pertinentem *eulin(os)* supplet. Cum autem lana mulieres faciant ea quidem persona, cuius cinis testa condebatur, pro muliere habenda est. Quae res autem nobis non explicat, cur in urna litteris Graecis et voce Graeca ea qualitas feminae, quam Romani voce lanificae laudantes efferebant, inducatur (cf. et adnotationem Buchneri in p. 231). Quam rem ut meliore modo apprehendamus, mentem nostram ad auctores scribentes vertamus.

Apud Pausaniam (8, 21, 3) hoc epitheto in hymno Delphico in Eileithyiam Olenis poetae Eileithyia dea ornata esse dicitur. Quae cum in hymnum Saturno deo vetustior inducta esset, Pausanias eam deam factorum - Parcarum appellatione omisa – esse putabat. Epitheton *eulinos* rarissimum (nullo alio loco enim occurrit – cf. ThLL s.v. lanifica, ubi Graeca lanificam Latinam exprimentia laudantur; nam et Augustini Serm.37,6 vox „lanificam et linificam non qualitatem,

sed professionem mulieris laudat“) in olla inscriptum non ad deam fata humana gerentem pertinet sed ad (veri similiter) mulierem ignotam cuius cineres in hac urna cum inscriptione industriam eius egregiam laudante, si interpretationem adhuc propositam acciperemus, olim deponebantur.

Sed huic explicationi sagacissimae duo impedimenta obstare videntur, primum, quia nomen proprium mulieris combustae non affertur et adiectivum sensu proprio caret et – in hos statu rerum ut ita dicamus – aere vano sublevatur, secundo (quod maioris momenti esse nobis videtur), quia titulus non in loco vasis superiore, id est honestiore, sed inferiore, oculis viventium quasi celatus inscribitur. Qua de causa explicatio, quam Peruzzi proposuit, ut tituli litterae non pro adiectivo, sed pro clamore bacchico haberentur, nobis magis idonea videtur. Sed cum vir noster titulorum Graecorum scribendorum artis peritissimus nos loco laudato monuit tertiam tituli litteram pro *o parvo*, quod Graeci omikron appellant, haberi non posse, denuo originem a lectione *eulin* explicandum esse decernimus.

Nunc non ab Olenio poeta sed ab alio hymnorum auctore, Lino, incipimus. Lini nomine ululatum et cantum funebrem et apud Herodotum (2, 79) et apud Pausaniam (9, 29) appellatum esse legimus, quis autem Linus ille fuerit uterque auctor alio modo explicat, sed et ululatum et cantum funebrem voce *ailinos* exprimi ambo unanimiter affirmant. Cum *ailinos* vox genus exclamationis maestitia impletae significaret particulaque *ai* eundem sensum, i. e. tristitiam exprimentem, haberet (cf. Aristoph. L 393) factum est, ut *ailinos* pro composito e particula *ai* et e nomine proprio *Linos* formato esse haberetur.

In titulo Gabino laudato in locum particulae *ai* adverbium *eu* (= bene) supponitur, id est in locum particulae maeroris adverbium bonum eventum exprimens locatur. Si fundamentum vocis vocativus *ailine* fuisset, necesse est, ut et *eulin* pro vocativo habeamus et *eulin* in *eulin(e)* suppleamus. Si hanc mutationem sensu ac litterarum vocis *eulin* accipiendam esse dubitares, maestitiam vocibus, quae laetitiam et statum rerum faustum expromunt non raro exprimi recorderis. Huic explicationi et positus litterarum ordo in olla funebri et sensus earum „salve“ non a sensu tituli Latini vetustissimi et Gabiis reperti distans, quem professor Bartoněk (p. 205) laudat *Salvetod Tita!*, proximi esse videntur.

Radislav Hošek
 Ústav řeckých a klasických studií
 Filozofická fakulta Univerzity Karlovy
 Celetná 20
 116 42 Praha 1
 Czech Republic